

bus, ideae illae, quae ex sensu corporeo oriuntur, naturaliter sint et fortiores et ardentiores, quam aliae ideae et cogitationes, hinc per plurimi iis ita sunt dediti ac mancipati, ut nihil fere uelut uerum et possibile admittant, quod non beneficio huius sensus iis innotescat. Ita quando ui imaginationis modum, quo aliquid fieri potest, non percipiunt, statim concludunt, id esse impossibile: *ab ignorantia modi ad negationem rei* argumentantes. Modum resuscitationis corporum mortuorum nulla imaginationis acie esse comprehensibilem, nemo non perspicit. Quis enim sibi repraesentare potest, quomodo partes illae minimae, in quas putrefactione resoluta sunt defunctorum corpora, ad constituendum essentialiter idem corpus iterum colligi et coniungi queant? Causa ergo, cur tot, auctoritatem quoque uerbi diuini flocci facientes, resurrectionem nostram ut impossibilem concipiendo ualde deludantur, non potest esse obscura; sensui namque corporeo plane mancipati ad rationes illas, quas ad adstruendam possibilitatem intellectus suppeditat purus, non attendunt; sed quia possibilitas specialis, uel diuinus operandi modus, omnem imaginationis uigorem fugit, uel mechanice est inexplicabilis, ad inficiendam ipsam rem progrediuntur. Quoniam itaque hic error imaginationis peculiariter est fraus, occasio nascitur Paulo, tum ad subleuandam illam, in quantum possibile est, tum ad demonstrandum, temere rem ipsam ob eius defectum denegari, resurrectionem uel ex ipso naturae speculo possibilem adstruendi, et corporum resurgentium qualitates tum graphice et instar Appellis ueluti in tabula depingendi.

B

§. V.